Ad Quodlibetariam Quaestio medica, matutinis agitanda disputationibus In Scholis Medicorum die Jovis 7 februarii M. Andrea Le Gros D. M. Moderatore prudentissimo.

An Semen et Menstruus Sanguis Excrementa benigna?

Sol, ψυχὴ τοῦ κόσμου, καὶ τῆς φύσεως εὐπορία, et homo, hominem generant. Qui universi principium, et Epitome, quatuor humoribus sanguineam massam complectentibus, In hepate, et venis ab uno eodemque calore genitis, et cum elementis mundi bina qualitate conuenientibus constat, quorum συμμετρία sanitatem, ἀμετρία morbum efficit. Atque huius vita calore natiuo caelesti, licet frequens incendium concipiat, In corde potissimum arteriarum origine residente et humido primigenio, eius pabulo, fouetur et subsistit; quorum praesentia illa seruatur, priuatione mors accidit.

Haec enim principia et vitae, sic interitus autores sunt. hinc statum Inevitabilem videns φιλάνθρωπος natura, quae eius est sanitatis conseruatrix, et morborum medicatrix, Itaque etiam eius speciei propagatrix, et Immortalis fieri, per generationem esse voluit. In eamque vim partibus obscoenis venereis illecebras et titillationem, quae vivo tempore calido humido, omnium salubrissimo, maior est, Indidit, quibus ad mutuum amplexum et coitum Incitarentur. In quo mulier, In suo sexu perfectissima, majorem quam vir percipit voluptatem. Eoque harmoniis viri et semen effundere possunt.

Generationis humanae duo sunt sensibilia primordia, semen et menstruus sanguis. semen albicantis seminarium utriusque sexus communis, et formae et materiae: menstruus vero sanguis materiae tantum rationem habet. Ex illo partes spermaticae quae dissecta vix regenerantur et coalescunt. Et os, neruus, vena, arteria, tendo, Ligamentum, Cartilago, membrana. Ex hoc partes carnosae et viscerum parenchymata musculi conformantur. Semen alimenti ultimi sive sanguinis utile est excrementum, quod à caua et aorta per vasa spermatica, In quorum gyris et anfractibus praeparatur, In testiculos Ignobiles defertur; In quibus solius virtute σπερματοποιητικῇ praeditis vim prolificam adipiscitur.

Ex utriusque seminis emissione et permistione, facultas procuratrix, quae In semine, vitali spiritu pleno, delitescit, alteratricis et formatricis adiuta et virtute Ipsius vteri, faecundi generationis horti, propria et Ingenita, suscitata, In actum erumpit, et fit conceptio, atque opus admirabile, nempe diuinam hominis fabricam, aggreditur. Conceptionem fluxus mensium, et floris fructum, praecedere dicunt, nec antè eam lac, quod eius est τεκμήριον, generatur. Adeam paucae mulieres majores, tenues gracilesque et obesae aptiores sunt, et quibus statis periodis et moderatè lunares purgationes prodeunt.

Delineatis ~~~~primum et seminis spermaticis partibus~~~~ menstruus sanguis, alterum ortus nostri principium, mulieribus, nisi viraginibus, quam caeteris faeminis uberior, ad effingendas partes carnosas per vmbilicum affluit. Qui sanguis et benignum tertiae coctionis excrementum, utilis est et alimentarius qui copia redundans non qualitate vitiosus, In mulieribus, satiatis iis corporis partibus, singulis mensibus vnde καταμήνιον αἷμα vocatur, natura prouidentia non retentus, grauia symptomata, minora tamen quam semen, Infert et superfluus euacuatur. In nutricibus tamen et praegnantibus commodè sistitur, et toto gestationis tempore, os concluso, et exclusus puellus alitur, quippe qui accedentis partu ad mamas, et In lac, primum et dulcissimum hominis et reliquorum sanguineorum animalium alimentum, mutetur, veritum confleat.

F.M.P.

Ergo Semen et Menstruus Sanguis Excrementa benigna.

Propugnabat Lutetiae Aegidius Le Blanc Parisinus, Anno Domini M. DC. XIII

D. Doct. disputaturi.

M. franciscus le Sage. M. Joannes Akakia. M. Symon Pietre.
M. Georgius Cornuty. M. Gaspardus Brayer. M. Georgius Cornuty.
M. Guillelmus Duval Pr. reg. M. Joannes Riolan. M. Claudius Boyvin.